
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Sentencia sobre el recurso admitido contra parte del Decreto del Pontificio consejo para los Laicos, de 20 de junio de 2013

Prot. N. 45064/11 CA

N

Decreti d. 13 decembris 2010 circa Confraternidad X

(Exc.mus Archiepiscopus – Pontificium
Consilium pro Laicis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante,
Pontificatus sui anno I, die XX iunii
MMXIII, Supremum Signaturae Apo-
stolicae Tribunal, videntibus Em.mo ac
Rev.mo D.no Raimundo Leone Card.
Burke, *Praefecto*, B.mo ac Em.mo D.no
Petro Béchara Card. Rai, O. M. M.,
Em.mis ac Rev.mis D.nis Paulo Card.
Sardi et Velasio Card. de Paolis, C. S.,
Ponente, atque Exc.mo et Rev.mo D.no
Antonio Stankiewicz, intervenientibus
Cl.mo Carolo Gullo, utpote Exc.mi
Recurrentis Patrono, Cl.ma Martha
Wegan, tamquam Patrona Pontificii
Consilii pro Laicis et Cl.morum D.no-

rum Y necnon Z et V, atque Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

Facti species

1. Cl.mus D.nus Y, sodalis consociationis publicae W de vico v.d. P prope pagum v.d. Q, die 22 martii 2010 epistulam ad Exc.mum Archiepiscopum N dedit, qua querebatur de loco in indice X Maiorum sibi tributo, post vana solutionis conamina sive Rev.mi Vicarii Episcopalis sive Rev.mi Vicarii iudicialis sive Visitoris canonici et alia. Siluit tamen Exc.mus Archiepiscopus et nullam dedit praefatae epistulae responsionem. Interea, fere iisdem diebus, Cl.mi fratres D.ni Z et V suos locos habere in eadem consociatione apud Exc.mum Archiepiscopum contenderunt. Qui pariter silere perrexit, uti videtur, spe ductus controversiam pacifice solutum iri.

2. Hierarchico recursu die 23 aprilis 2010 proposito adversus inertiam Exc.mi Archiepiscopi N, Pontificium Consilium pro Laicis decreto die 13 decembris 2010 lato, statuit:

- 1) Cl.mum D.num Y suum locum habere in indice X Maiorum post Cl.mum D.num R et ante Cl.mum D.num S; hoc modo, post renuntiationem in favorem Cl.mi D.ni R, anno 2012 ipsius esse solemnitates in honorem B.M.V. apparare;

- 2) Cl.mos fratres D.nos Z et V suos locos habere in eodem indice, si

intra terminum triginta dierum utilium a decreto notificato portiones annuales ab anno 2004 solverent;

- 3) Exc.mum Archiepiscopum invitandum esse atque invitari ad Commissarium consociationis designandum, necnon suo tempore, discretioni Exc.mi Praesuli concedito, ad electiones convocandas ut consilium consociationis renovaretur; in quibus electionibus Cl.mus D.nus T voce passiva careret quoad officium Secretarii.

3. Quod adversus decretum Exc.mus Archiepiscopus die 19 februarii 2011 ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae recursum proposuit. Supremum Tribunal die 24 maii 2011 petitam suspensionem in casu concedendam esse decrevit et facto concessit, tantum relate ad decisionem Pontificii Consilii de Cl.mo D.no Y inscribendo in indice X Maiorum post Cl.mum D.num R et ante Cl.mum D.num S ac proinde de iure ipsius Cl.mi Viri anno 2012 solemnitates in honorem B.M.V. apparandi.

Memoriali pro Exc.mo Recurrente die 9 maii 2011, et illo pro Pontificio Consilio pro Laicis necnon pro Cl.mis D.nis Y, Z et V die 10 octobris 2011 praebitis, Rev.mus Promotor Iustitiae die 28 decembris 2011 votum pro rei veritate prompsit, cui tantum Cl.ma Resistentium Patrona respondit.

Recursu tantum adversus primam et secundam statuitionem decreti impugnati in Congressu diei 20 ianuarii 2012 admissio, adversus autem tertiam eiusdem decreti statuitionem reiecto, die 15 martii eiusdem anni haec dubii formula

rite statuta est: An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad primam vel secundam statuitionem decreti a Pontificio Consilio pro Laicis die 13 decembris 2010 lati.

Summario demum confecto, memorialibus pro Pontificio Consilio et pro Cl.mis D.nis Y, Z et V, necnon pro Exc.mo Archiepiscopo respective diebus 5 iulii et 7 septembris 2012 praebitis, voto pro rei veritate a Promotore Iustitiae exarato, nunc dubium proponitur Patribus Iudicibus huius Supremi Tribunalis, qui dubio responsum praebeant.

In iure et in facto

4. Uno eodemque decreto Pontificium Consilium pro Laicis tres decisiones seu statuitiones sumpsit. Cum tamen recursus adversus tertiam in Congressu reiectus sit nec ulterius impugnatus, nunc agendum est tantum de duabus prioribus decisionibus. Quae decisiones rationes motivas in decreto impugnato non inveniunt, cum Pontificium Consilium ad eas in relatione a Visitatore canonico confecta exstantes remittere maluerit.

In primis tamen mentio facienda est de quibusdam quaestionibus praeiudicialibus, quae praesupposita spectant. Agitur de quaestione de legitimitate ad agendum et de terminis non servatis ab Exc.mo Recurrente iterum propositis; sed de iis iam satis actum est in decreto Congressus Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, ad quod remittimus.

Duae itaque sunt quaestiones quae manent tractandae: 1) de ordine habendo in indice Servorum Maiorum quoad Cl.mum D.num Y; 2) de ascriptione consociationi Cl.morum fratrum ZV.

A. De ordine habendo in indice servorum maiorum quoad cl.mum d.num Y

5. Duo coetus in consociatione habentur: 1) Membra ordinaria: «Son todos los miembros» (art. 5, a); 2) Membra extraordinaria: «Son los miembros varones. Cada uno tiene la posibilidad de ser X Mayor. El X Mayor, es la persona que representa a la Confraternidad de X ante el pueblo, con motivo de las Fiestas y otros actos religiosos. Su nombramiento se realizará en la Junta General Ordinaria, siguiendo un riguroso orden de inscripción en el Libro de X y su duración será de un año natural. Si alguien renunciara a ser X Mayor se nombrará al siguiente».

Cl.mum D.num Y in scriptum esse constat inter membra ordinaria sub die 8 maii 1969; at inter membra extraordinaria sub Kalendis Februariis anni 1970. Ipse, die inscriptionis inter membra ordinaria innixus, munus X Maioris assumendum petiit anno 2011; consociatio, die inscriptionis inter membra extraordinaria innixa, munus idem assumendum a Cl.mo D.no Y tenet post aliquos annos.

Contentio itaque vertit circa necessitudinem inter ordinem membrorum ordinariorum et ordinem seu indicem membrorum extraordinariorum. Optime Rev.mus Promotor Iustitiae examinat quaestionem et rationes adductas a partibus.

6. Ante omnia satis efferrī potest quod libri membrorum ordinariorum et extraordinariorum, a Cl.mo Exc.mi Archiepiscopi Patrono sub authentico exemplari die 3 maii 2011 exhibiti, consuetudinem satis demonstrant inscribendi membra extraordinaria iuxta proprium ordinem, qui cum ordine membrorum ordinariorum non in omnibus coincidit. Exempla plura habentur in actis: (Cl.mus D.nus R); (Cl.mus D.nus U); (Cl.mus A); (Cl.mus B); (Cl.mus D.nus C). Iam vero, contra factum non valet argumentum.

7. Decretum autem impugnatum Pontificii Consilii aliter censet, sed quoad hanc materiam in controversiam deductam una relatione a Rev.mo Vicario iudiciali, utpote Visitatore canonico, confecta nititur (cf explicite nn. 6 et 8 decreti impugnati), quae ad rem, sub pagella n. 10, sub num. 3, asserit:

«La no coincidencia de la fecha de inscripción de Y en el Libro de “X Vivos y Difuntos de la Confraternidad”, que a su vez contiene otro en el que consta el listado de “los comprometidos al cargo de X Mayor” con posibilidad de organizar la fiesta, es tan evidente como inexplicable [...] El más que probable error que ya hemos apuntado anteriormente es uno más de los contenidos en los Libros y puede tener su origen según reconoce el mismo Secretario de la X [...] en un fallo de transcripción por él mismo realizado, en un error de Y en solicitar su inclusión en la lista de comprometidos en fechas distintas a la de su pertenencia a la Confraternidad o al fallo de un posible interme-

diario al que Y encargara transmitir su voluntad de entrar a formar parte del listado de “comprometidos”».

Satis autem patet inanitas argumenti ex quo relatio decisionem eruere praesumpsit: ius scilicet Cl.mi D.ni Y suum locum habendi in indice X Maiorum post Cl.mum D.num R et ante Cl.mum D.num S, id est iuxta ordinem eiusdem inscriptionis in Libro membrorum ordinariorum. Nescitur, enim, quo modo firma haberi possit decisio quae tribus opinionibus *disiunctive sumptis* niti dicatur, quarum prima non probata palam dicitur (cfr. «*probable error*»: *emphasis addita*), et quarum secunda et tertia (sera petitio ad inclusionem inter X Maiores; delegatus non nimis diligens ad petitionem de qua supra porrigendam) argumenta ex se sufficientia sunt ad decisionem contrariam sumendam.

Inanitas argumenti infirmam parit opinionem Visitoris canonici et ultimam errorem in decernendo apud Pontificium Consilium.

8. Quae argumenti inanitas cohaeret cuidam levitati, quam relatio tota prae se fert. Leviter, enim, Visitor canonicus sua emittit iudicia de argumentis sat ponderosis uti, exempli gratia, de necessitate extendendi institutum X Maiorum etiam ad mulieres vel de more deserendo singulum X Maiorem annualem constituendi in favorem cuiusdam coetus Servorum annualis. Quae omnia altius investiganda sunt, sed non apodictice deducenda et imponenda erant.

Item argumenti inanitas elucet ex absentia cuiuscumque rationis ob quam ordo dolose seu malitiose subversus fuisset. Subversionis causa non indigitur; nulla adest relatio inter subversionem tunc peractam et munus X Maioris a Cl.mo D.no Y assumendum comprehendendum. Deest subversionis causa, deest et subversio.

Ad abundantiam examini subici possunt, exempli causa, et alia argumenta Visitoris canonici, inepta quidem ad decisionem Pontificii Consilii pro Laicis determinandam:

- 1) Adsunt correctiones in Libris de quibus: hoc autem non probat ordinem quoad hanc personam et diem corrigendum esse;
 - 2) «Sorprende que esta circunstancia [id est, incoherencia inter Librum membrorum ordinario- rum et Librum membrorum extra-ordinario- rum] ocurra en el “turno 71” [...] primero que T es elegido secretario [...] y sorprende que se dé, toda vez que desde el Turno 56 [...] no encontremos ni una sola ocasión en la que un X comprometido a hacer esa fiesta sea anotado con anterioridad y/o posterioridad al año que se anotó en la X [...] T continuará, a partir del Turno 72 hasta el día de la fecha inscribiendo sin hacer una sola excepción como la que apuntamos [...]»: Cl.mus tamen Exc.mi Recurrentis Patronus plures exceptiones contra adducere potuit, quarum supra quasdam enumeravimus.
9. Instat autem Cl.ma Pontificii Consilii pro Laicis et Cl.mi D.ni Y Pa-

trona, asserens quod «correctio erroris a multis membris consociationis petita fuit et etiam ab “Asesora Juridica” Exc.mi Archiepiscopi» (novissimum memoriale): haec tamen petitio correctionis erroris nondum est probatio ipsius erroris, qui manet probandus.

B. *De ascriptione consociationi fratrum*
ZV

10. Decretum impugnatum decrevit Cl.mos fratres D.nos Z et V suos locos habere debere in indice membrorum ordinariorum ac in respectivo loco indicis membrorum extraordinariorum, si intra terminum triginta dierum utilium a decreto notificato portiones anuales ab anno 2004 solverent. Etiam hoc in casu ratio quaerenda est in relatione a Visitatore canonico confecta, quam Pontificium Consilium de plano suam fecit. En ratio: pater Cl.morum D.norum Z et V controversiam instituit cum Consilio administrationis circa suum locum in Libro membrorum extraordinariorum et, responsione negativa recepta, decisionem tulit ab anno 2004 portionem annualem non amplius solutum iri sive pro se sive pro familia (uxore et filiis). Ad rem adnotat relatio Visitoris canonici:

«El incumplimiento del padre de no abonar a la Confraternidad la cuota anual de los hijos no puede entenderse como incumplimiento injustificado y reiterado de los hijos acerca de sus obligaciones en la Confraternidad que sería lo que justificara su baja de X en virtud del art. 6 de los Estatutos si se hubieran cumpli-

do, además, lo que mandan los Estatutos en su art. 6, 2º, cuando dice: “en estos casos” sean “oídos” los interesados por la Junta Directiva».

11. Ex hac mera ratiocinatione, post annos Cl.mi D.ni Z et V restituti sunt a Pontificio Concilio pro Laicis in consociationem et in eorum locos. Nulla autem ratio habita est, exempli causa, de terminis ad recurrendum adversus dimissionem iam diu elapsis, de scientia Fratrum ZV circa eorum dimissionem, de mandato patri collato ad negotia pro integra familia circa consociationem agenda, de art. 6 praescripto iam adimpleto per publicam decisionem patris, pro se et integra familia sumptam, a consociatione discedendi.

Quibus ex omissionibus patet violatio legis in decernendo cum una decisionis ratio (inauditi fuissent Fratres) impar sit per se decisioni a Pontificio Consilio pro Laicis sumptae.

12. Cl.ma Pontificii Consilii pro Laicis et Fratrum ZV Patrona opponit quod cum «praevia auditio Fratrum a *Junta Directiva* praescripta sit in art. 6, 2º Statutorum, necessarie praevalere debet omnibus contrariis argumentis, veluti a Rev.mo Promotore Iustitiae suscitatis» (novissimum memoriale [...]). Id vero minime accipi potest. Legatur art. 6 Statutorum:

«Los miembros de la Asociación causarán baja por decisión propia y también a tenor de lo establecido en el derecho canónico vigente y por el incumplimiento reiterado e injustificado de sus obligaciones. *En estos*

últimos casos, la Junta Directiva oirá previamente al miembro interesado» (emphasis addita).

Praevia, utique, auditio ex statutis requiritur si et quatenus membrum ex insolutis portionibus annualibus dimittitur, sed hac de re minime agitur in casu, in quo dimissio habebatur ob decisionem patris et quidem cum mandato agendi nomine totius familiae.

13. Tenet, tandem Cl.ma Patrona Fratres ZV optime respondere potuisse argumentis a Rev.mo Promotore Iustitiae expositis, sed id hucusque, etiam post recursum ad disceptationem admissum (cf artt. 85-86 *Legis propriae* H.S.T.), haud evenit.

Conclusio

14. Quibus omnibus in iure et in facto mature perpensis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Constare de violatione legis in discernendo relate ad primam et secundam statuitionem decreti a Pontificio Consilio pro Laicis die 13 decembris 2010 lati.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communi-

candam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die XX iunii MMXIII.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

Petrus Béchara Card. RAÏ, O. M. M.

Paulus Card. SARDI

Velasius Card. DE PAOLIS, C. S.,

Ponens

+ Antonius STANKIEWICZ